



*G 11.23*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-56

SIGNAT. 1800 CCCXIII.

7

Consideratio  
DUORUM DISCURSuum  
*Quibus*

**J E S U I T Æ**  
**S I M P L I C I O R I B U S**  
PERSUADERE CONAN-  
TUR, UT à LUTHERI DOCTRIL  
nâ secessionem faciant,  
*De qua*

Præpotentis DEI Auxilio  
*In Illustri Salanâ*

PRÆSIDE

**JOHANNE GERHARDO**  
S. Theol. Doctore, & Profess. Publ.

*In disputatione publicâ d. 27. M. Auguſti in*  
*Auditorio Theologico instituendâ,*

Rationem reddet

**M. SIMON LEISRINGIUS**  
Leucopetrâ - Misnicus,

J E N Æ

*Ex Officina Typographica Tobia Steinmanni,*  
Anno M. DC. XXV.

Coniectatio  
Dolorum discensus  
Jesuita  
Simplicioribus  
Praeclarissime conan-  
tibus, ut fuit huius doctri-  
nae decolor non possit  
Diversis  
Praeterea deinde ad aliis  
in illius scriptis  
Glossa  
Iohanne Gerhardo  
S. Thes. Dogmatis, Proleg. p. 1.  
In primis, quod est in M. Schmidii  
Catechismo, Tertio Tomo, Quarto  
Radicem habet in  
M. Simon Festsingius  
Festis - Milticis,  
Iena  
Ex officina Friderici et Iacobi Visscherianorum  
anno M. BC XXXV.

**CONSIDERATIO**

**Duorum Discursuum**

*Quibus*

**JESUITÆ SIMPLICIO-**  
**RIBUS PERSVADERE CONAN-**  
tur, ut à Lutheri doctrinâ seces-  
sionem faciant.

**THEISIS I.**

 **V**ANDO Jesuitæ in Colloquium de Religione cum nostris descendant, eosque permovere conantur, ut reliktâ, quam ita vocant, Ecclesiâ Lutheranâ ad gremium Romanæ Ecclesiæ sese conferant, hoc primū tanquam ab omnibus concessum principium presupponunt. *Ab ascensione Christi in cælum usq; ad ipsius in novissimo die redditū semper fuisse & fore in his terris Ecclesia, que nullis hereticorum, Anticristi, aut deniq; ipsius Diabolimachinatio- nibus potueris vel in posterum etiam possit everti, sed usq; ad finem mundi tanquam petra firmissima perficitur, si inexpugnabilis.*

2. Hoc postico principio querunt: Ilbinam gentium ante Lutherum nostram fuerit Ecclesia? in qua mundi parte? in qua regione? in qua urbe? in quo pago? Si enim nostra Ecclesia est vera Ecclesia, extra quam nulla est salus, necessarium esse arbitrantur, ut juxta concessum principium, nunquam defecerit,

nec unquam defuerint homines; qui doctrinam Augustanae Confessionis per omnia fuerint complexi.

3. Huic quæstiōni dicunt, tripliciter à nostris respondere posse. Vel 1. dicendo, nostram Ecclesiam non minus ante Lutherum fuisse conspicuam in quibusdam mundi partibus ac nunc est. Vel 2. fuisse invisibilē, hoc est, non quidem defuisse unquam Lutheranos, sed ob metum Tyrannidis Pontificia in eremis & montium cavernis per aliquot secula latuisse. Vel 3. aperte confiendo, nullos ante Lutherum extitisse Lutheranos ac proinde frustrā quari nostram Ecclesiam, Romanam autem Ecclesiam tunc temporis fuisse veram Ecclesiam. Licet enim multis corrupta fuerit erroribus, quia tamen fundamentum salutis retinuerit illum, nihil obstat, quo minus dicitur vera Ecclesia.

4. Nullam harum responsionum quæsito satisfacere, regerunt. Non primam; 1. quia ex nullo auctore constet, in quam orbis regione ante centum annos Lutheri doctrina fuerit predicata, proinde gratis ac temerè id affirmari. 2. quia reclameat ipse Lutherus, qui passim in scriptis suis, præsertim in libro contra Hans Wurst refutatur, suam doctrinam tunc temporis orbi Christiano planè fuisse incognitam, sed primum lucem Evangelii in Germania accendisse, imo se validè dubitare, an Germania unquam audiverit verbum Dei.

5. Non secundam. 1. quia si multi Lutherani ob metum Tyrannidis Pontificia in eremo latuissent, hoc profectio nos edocerent Historici, qui omnium Tyrannorum persecutiones & ubi terrarum interea Ecclesia sedem suam habuerit, summâ diligentia annotarunt. Cum vero de ejusmodi persecuzione apud omnes Historicos alcum sit silentium, hoc quoq; magnâ temeritate affirmari. 2. quia evidenter ratione evincit posse, hoc esse commentum. Si enim multi fuissent ante Lutherum Lutherani, illi mox audiēt ipsius prædicatione sturnatim ad illum confluxissent, ingenuè testando, se antea idem credidisse, id quod etiam factum non esse nemo dubitet.

6. Non tertiam. 1. quia contraria sit sacris literis, quæ ita describunt Ecclesiam, ut facile appareat, sine fallibili an infallibili (an possit errare, nec ne) quid enim clarius illius dictū Joh. 16. v.13. Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem. 1. Tim. 3. v.15. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis? *Loca loca*

loca (inquit) non possunt etiā distinctione articulorum in principales & minus principales, quasi sufficiat, Ecclesiam in principaliis vel fundamentalibus articulis fidei à veritate non aberrare. Neg, enim apparet, quomodo Romana Ecclesia possit excusari, quae non minus olim tempore Patrum & Scholasticorum, quām hodierno tempore multa habuit dogmata, quae nos tanquam idololatrica & palam excremuntur. Si fuerint idololatrica, certè fuerint ejusmodi, quae fundamentum salutis planè everterunt. Ilbi ergo sum fuit Ecclesia?

7. 2. Quia repugnet ipsi Luthero, qui non uno in loco multis verbis contendit Ecclesiam non posse in minimo articulo errare, quod si contingat, tunc statim desinere esse Ecclesiam & contraria generare in Synagogam Satanae.

8. 3. Quia hanc sententiam refellat ipsa Confessio Augustana, quā art. 7. definit Ecclesiam, quod sit congregatio Sanctorum, in quā Evangelium purē docetur, & Sacra mentia legitimè administrantur. Si hoc verum est, Romana Ecclesia, in qua non minus olim quam hodie Evangelium non fuit purē predicatum, nec Cœna & Dominica juxta institutionem Christi, ut à nobis afferitur, legitimè fuit administrata, non potuit esse vera Ecclesia.

9. 4. Denique quia contra hanc sententiam pugnat unanimis consensus sanctorum Patrum, qui nihil magis inculcant, quam unam esse Ecclesiam, extra quam sint omnes heretici, sive impugnantes articulos principales, sive minus principales, nec unquam cætum Donatistarum, Pelagianorum, Petrobrusianorum, & apostolicorum & similiūm dignantur nomine Ecclesie.

10. Huic argumento quod putant esse adiutorium adducunt aliud, quod non minoris judicant momenti ac roboris, videlicet nos circum committere in solvendâ istâ quæstione. Ilnde scilicet Scripturam esse verbum DEI? Illud sic ostendere intuntur. Quando urgemur, unde efficaciter & indubitanter noverimus, Scripturam sacram tam in generali quam in speciali esse verbum Dei: Ex internâ, respondemus, testificatione Spiritus, qui hanc Scripturam in corde meo iudicat divinam & Canonicam. Quare, inquit illi, id quod iste iudicat Spiritus, est verum? dicimus, quia est Spiritus sanctus. At, regerunt illi, fortassis Cacodemon est. Ne quaquam, respondemus, quia in Scripturis Spiritus sanctus creden-

tibus est promissus. In quâ verò Scriptura inquunt? respondemus Joh. 16. v. 13 Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cap. 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt. At unde scimus, hanc Scripturam in particulari esse Canoncam nisi ex interna testificatione Spiritus; atq; ita internam nostram Spiritus testificationem esse à Spiritu sancto credimus per aliquam Scripturam, quam tamen non aliunde efficaciter ac indubitate novimus esse divinam, quam ex illâ eadem internâ Spiritus testificatione; & sic incidimus in circulum, ex quo ipsorum iudicio non possumus exire.

11. Nec facit ad rem (inquiunt) si quis objiciat, internam illam testificationem Spiritus sancti esse instar primi alius principii, ac proinde de istius veritate nihil quicquam esse dubitandum, etiam si aliunde non possit probari. Hoc nihil valere dicunt. Quemadmodum enim prima principia à nomine sanguinis vocantur in dubium, ita ejusmodi inspirationes Spiritus sancti uniformiter ab omnibus acceptantur, quod tamen in hac re non vérificatur. Verbi causâ. Luthero initio predicationis sue, quem adhuc hodie multi sequuntur, Spiritus dicit abbas, Epistolam Jacobi esse strawineam, Calvinus contraria esse Apostolicam. Si hujus declaratoribus Spiritus dicit at multos libros N. T. esse Canonicos & divinos, qui tamen Lutheranis videntur Apocryphi. Hec diversitas (inquiunt) ostendit, nullam fiduciam collocandam esse in illâ internâ inspiratione Spiritus, quatenus talis, nisi juxta infallibilem aliquam regulam, puta Ecclesiasticam autoritatem examinetur.

12. Quod nos vicissim in eadem questione ipsis objicimus circulum, parùm dicunt habere momenti. Facile enim se expedire posse putant, quando Ecclesia autoritatem apud illos, qui Scripturam sacram non recipiunt, multis creditibus argumentis aliunde probant, ut ex antiquitate, consensu gentium, miraculis, successione Pontificum in Cathedra Petri, ipso deniq; Catholica Ecclesia nomine, & quibus argumentis etiam Augustinus utatur contra Manichaeos, in eius simplicitatem cuncti constitutus, ut videre sit in libr. contr. Epist. fundamenti.

13. Hi sunt Jesuitarum discursus, quibus ad Lutheri doctrinam abjeciendam & Evangelicam Ecclesiam deserendam.

Sma-

simpliciores permovere nituntur. Ac sanè testis est experientia, spinois illis quæstionibus quosdam turbari, quò minus in simplicitate doctrinæ Evangelicæ, quam clarissimâ luce in verbo Dei resulgere cernunt, quieti & immoti persistant.

14. Rectè quidem faciunt, qui à Jesuitis hujusmodi quæstionibus exercentur, quòd exemplo Beroënum Act. 17. v. ii. inquirunt, *an hoc ita se habeant*, quæ ab Evangelicis Doctrinis proferuntur, interim tamen sedulò monendi sunt, ut obseruent etiam regulam illius scrutinii & inquisitionis ibidem à Luca additam.

15. Costerus in Enchirid. p. 59. scribit, *Beroënes servatores fuisse, an majorum doctrine & interpretationi Paulus & Silas consona dicerent*. Sed & textus & rei ipsius evidentia huic opinioni manifestè repugnant, disertè enim additur, *καὶ ἡμεῖς ἐναντίον τὰς γέραφας, quotidie scrutantes Scripturas, securi scilicet præceptum Christi*. Johan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*. Si Beroënes scrutati fuissent, an doctrina Apostolorum conveniret cum proximis majoribus, nūquā profectò eam recepissent. Quæ enim convenientia superstitionis Ethnicae & traditionum Judaicatum, quibus innutriti fuerant Beroënes, quæve à majoribus suis acceperant, eum doctrinæ Apostolica?

16. Ad unicam igitur, eamque certissimam veritatis regulâ videlicet ad scripta Mosaica & Prophetica contulerunt & examinarunt doctrinam Apostolorum, de quo Scriptura Canonem Chrysostom. hom. 13. in 2. Corinth. sic differit. *Habemus autem ἀπόλλυντον τὴν τοῦ Ιησοῦ πνεύματα exactissimam trutinam & gnomonem & regulam divinarum inquam legum assertionem, ideo ὁρῶ & obsecro ὃς, ut relinquatis, quid huic aut illi videatur, degs bis à Scripturis omnia inquiratis*.

17. Beroënum igitur vestigiis ut insistant, sedulò mendici sunt, qui de antiquitate doctrinæ Evangelicæ (quam novitatis nomine suspectam ipsis reddere conantur Jesuitæ) inquirere cupiunt, postmodum etiam Ecclesiasticorum Scriptorum temporibus Apostolicis proximorum testimonia conquerere poterunt, ita procul dubio eveniet ipsis idem, quod Clarissimo Jcto Johanni Wölffio in hoc ipso negotio olim contigit.

18. Is verò in Praefat. tomī I. Lection. memorab. de se-  
ipso sic scribit: Cum ante hęc tempora etiam magna eruditio nis &  
sapientia viros in causa religionis vacillare & nunc mutare, nunc  
verò abnegare priorem fidem suam, in qua nati, baptizati & educa-  
ti fuerant, vidarem, capi & ego de anime mee salute esse solitus &  
cum doctis piisq; viris de hac respius conferre. Precatus igitur  
Deum cum Davide, ut avertat oculos meos à vanitate, ne similis sie-  
rem descendantibus in lacum, sed ut confiteri ipsi (Domino) possem  
in Ecclesia magna, diligenter primum ex sacris literis, deinde san-  
ctis Patribus, aliisq; historis, quas undiqueq; comparare & re-  
perire poteram, de rei veritate disquirere capi, ad quam rem non-  
parum mibi commodabant peregrinationes, frequentes illustrum  
ac celebriorum terre locorum visitationes & legationes. Nam  
sicubi in curiis & aulis Imperatoris & Regum Gallie, Navarre,  
Anglia & Polonia, ut etiā Principum passim & Conventibus Imperii  
ob expedienda negotia sapè per menses aliquot commorandum fuit,  
ne inane perire tempus, interea omnigenas Imperatoris, Regum,  
Monasteriorum, Collegiorum, Universitatum, Civitatum & docto-  
rum virorum Bibliothecas, librosq; perlustravi. Et multos, quos  
habere non potui, non sine sumtibus ex molesto & longinquō itinere  
missis literis comparare non desisti, soluq; & unus ac sine adminicu-  
lo cuiusquam hominis perlegi & ex eis hoc opus congeSSI. Gustum  
igitur dulcedinis ex veritate percepto tandem ad inquirendum al-  
tius eam & rimandum relicta omnibus penè negotiis Politicis &  
Aulicis unicè huic me dedicavi & sollicitè statum Ecclesia antiquę  
& hodiernę non absq; magnis laboribus & sumtibus indagavi.  
Quibus dum sedulò incumbarem & tot tantasq; querimonias &  
testationes omnifariorū abusu m̄ in Republica, quām preci-  
pue in Ecclesia, Patrum & gravissimorum autorum aliorum  
penè infinitorum offendere, capi memoria causā colligere & coa-  
cervare hujusmodi testimonia & autoritates. Postea subjun-  
gens aliorum de thesauro istarum lectionum judicium, re-  
fert, ipsos censuisse, nullum esse dubium, quin si multi, qui in Papa-  
tu vivunt, cognitum atq; exploratum haberent, quid esset veritas  
& quod nonnulla mens essent hominum figmenta, orq; virtus & abu-  
sibus plenaq; referata, multaq; vel questus causā vel dominandi libi-  
dine excogitata, serio ipsimet miseram suam sortem deploraturi  
essent,

effent, si docerentur; quā effet incedendum, ne à veritate fidei  
aberiantes seipsoſ ſalute defraudarent, id quod memorabili ex-  
emplo amanuensis ſui in Schola Jesuitarum Fuldenſium inſi-  
tuti conſirmat, qui in deſcribendo iſthoc opere magis magis  
que animadvertere, quod Papatus & Religio Eccleſia Romanæ  
planè ab Apoſtolorum ſemita declinaſſet, quid item Lutherus  
docuifſet, ad doctrinam Evangelicam acceſſerit.

19. Hisce ita præmissis deſcendemus ad conſideratio-  
nem diſcurſum iſtorum Jesuiticorum. In priore tanquam  
certum & immotu principiū præſupponitur, ab aſcenſione  
Christi usq; ad ipſius in noviſſimo die reditum ſemper fuiffe & fore  
in hiſ terriſ Eccleſiam, que nullis hereticorum, Antichriſti, aut ipſius  
Diaboli machinationibus everti potuerit, atque eo præſuppoſito  
quæritur, ubi noſta Eccleſia ante Lucherum fuerit?

20. Reſpondeamus ad hunc diſcurſum. Primo idem illud  
Johanni Baptiſte N. Test. Ministerium inchoante, Christo Ieſu  
& Apoſtoliſ iphiſi à Phariseis olim objici potuiffē ac reipsā  
etiam obiectum fuiffe. Poterat omnino Pharisei flagitare, ut  
oſtenderetur unus aliquis cætus, qui ſinceritatē doctriṇa, pro-  
ut ea à Christo & Apoſtoliſ prædicabatur, publicè fuerit pro-  
feſſus, qui oppoſuerit ſe corruptiſ Pharisaicis, in qua pura do-  
ctrina Moaica & Prophetica ſine humaniſ ſigmentiſ & erro-  
biſſuſ fuerit conſervata.

21. Poterant ergo eodem modo argumentari. Prater  
Judaicam & Ethnicam nulla fuit habetenuſ in mundo religio. Quod  
ſi juxta doctriṇam Christi & Apoſtolorum Judaicā religio, prout  
publicè in populo Judaico ſonuit, eſt corrupta & multis erroribus  
contaminata. Ergo vera Eccleſia defecit ac vera fides defit, aut ſe-  
rum exitit, petimus oſtendi, in qua mundi parte, in qua regione, in  
qua urbe, in quo pago fuerint homines, qui doctriṇam Christi &  
Apoſtolorum per omnia fuerint amplexi.

22. Quicquid huic Pharisaico argumen‐to pro Christo  
& Apoſtoliſ responderi potefit, idem etiam argumen‐to Jesuiti‐  
co, quod contra noſtrā Eccleſiam urgetur, responderi potefit  
& debet. Ut enim Johannes Baptiſta prædicatione ſuā con‐  
vertit corda patrum ad filios Luc. i. v. 17. hoc eſt, à traditione proxi‐  
morum majorum ad veram antiquitatem, ad primorum Pa‐

I.

B

trum

erum doctrinam, adeoque ad revelationem divinam in Mosaicis & Propheticis scriptis traditam provocavit, ut hac ratione corda antiquissimorum patrum ad filios iterum converterentur & in confessione sincera doctrina esset consensus: ita & nos provocamus ad veram Apostolicam doctrinam & Ecclesiam antiquitatem, quae in scriptis Evangelistarum & Apostolorum clarissimum est proposita.

23. Ut Christus *Scripturas scrutari* & ex illis de doctrina sua judicari Job. 5. v. 30. Phariseos & Scribas in *cathedra Mosis sedentes*, id est, quatenus doctrinæ Mosaicæ conformia docent (uti I. yrana in cap. 23. Matth. Biel. 4. sent. dist. 1. q. 4. art. 3. Lucas Brugensis in comm. rectè exponunt) audiri Matth. 23. v. 3. contrà verò à fermento Phariseorum, id est, falsâ ipsorum doctrinâ Mosaicæ contraria, eiique superadditâ caveri Matth. 16. v. 6. & 12. serio jubet: ita & nos auditores nostros hortamur, ut Scriptutas sedulò scrutentur & ex illis de doctrina nostra iudicium faciant; ac Prælatos Ecclesie audiri jubemus sedentes in *cathedra Apostolorum*, id est, quatenus conformia doctrinæ Apostoli in Scripturis expositiæ proponunt, sed à fermento traditionum & corruptelarū superaddito cavendum esse docemus.

24. Ut Apostoli protestati fuere, se nibil docere extineat, qua Moses ac Prophetæ locuti sunt futurum Act. 26. v. 21. se prædicare *Evangelium* jam ante prænunciatum per Prophetas in *Scripturis sacris*. Rom. 1. v. 2. ac proinde ex illorū scriptis de doctrina sua iudiciū fieri, eamq; sepositis errorib. in Ecel. Judaica à Pharisæis superadditis acceptari voluerunt: ita & nos protestamur, quod nihil doceamus extra ea, quae Moses & Prophetæ, Christus & Apostoli in Scripturis sunt locuti, ea igitur jubemus acceptari sepositis erroribus, qui in Ecclesia Romana superioribus seculis progressu temporis huic doctrine supervenerunt.

25. Unicum illud huic *scripturæ* specie quadam opponere possunt: Diversam esse rationem Ecclesie in N. & Synagogæ Iudaice in V. T. illam fore perpetuam, banc verò defecisse & deficerre debuisse. Sed breviter respondemus, non esse, hoc loco questionem de Ecclesiæ perpetuitate, sed de Ministerii publici in Ecclesia puritate & ab omni errore immanitate, quæ duo accuratè distinguenda esse, paulò post pleniùs docebimus.

26. Quoad.

26. Quoad posterius membrum, eandem esse Ecclesię  
Iracliticę & Christianę rationem multis evidētibus argu-  
mentis confirmari potest. Quoties ipsimē Pontificiū à statu Ec-  
clesię Iracliticę ad statum Ecclesię Romanę argumentantur,  
præsentim quādō de visibili Ecclesię capite, Pontifice Romano,  
quæstio est, quem cum summo Sacerdote V. T. comparant? præ-  
supponunt igitur Iracliticę & Christianę Ecclesię confor-  
mitatem.

27. Sed hæc nār' avdēntur dicuntur. Quod ad rem ipsam  
attinet, dicimus, non posse ostendi absolutas promissiones Ec-  
clesię visibili in N. T. datas de omnimea puritate & libertate  
ab omni errore, sed omnes promissiones Ecclesię tam Nov.  
quam V. Test. datae sunt conditionales, si scilicet permanserit  
in sinceritate doctrinæ in verbo divinitus revelato ipso com-  
mendata.

28. Quod promissiones Ecclesię V. T. datae fuerint con-  
ditionales, non opus est probari, quia conceditur ab adversariis,  
idem igitur de Ecclesia N. T. probandum restat. Id verò liquidis-  
simè docet Apostolus in Epistola ad Romanam Ecclesiam scri-  
ptā, quæ unicē illud privilegium non errandi hodie sibi vendi-  
cat. Rom. II. v. 19. Dices, fructi sunt nām, ut ego inferar, v. 20. Benē,  
propter incredulitatem fructi sunt, tu autem fide fias, noli altum sa-  
pere, sed time, v. 21. Si enim Deus naturalibus nāmis non pepercit, ne  
fortè nec tibi parcat, v. 22. Vide ergo bonitatē & severitatem Dei,  
in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in re autem bonitatem, se  
permanserit in bonitate, alioquin & tu excideris.

29. Argumentatur in his verbis Apostolus ab Ecclesia  
Judaica ad Christianam, non solum ut à pari, sed etiam ut à mi-  
nori ad majus. Quod enim uberior est Dei gratia & quod illustri-  
ores sunt promissiones, ed atrociores poena & tenebrae densiores  
contemtoribus verbi sunt metuenda. Si Romana Ecclesia re-  
ctè convincitur periculo excisionis obnoxia exemplo Ecclesię  
Iracliticę, utique etiam codem exemplo rectè convincitur pe-  
riculo erroris obnoxia, minus enim malum est aliquos errores  
amplecti, quam penitus excidi.

30. Idem Apostolus 2. Cor. II. v. 2. dicit. se Corinthiacam  
Ecclesiam, ut virginem castam defensione Christo, metuere vero, ne  
Corin-

*Corinthiorum sensus à simplicitate fidei, qua est in Christo, astutia  
satanae dimoventur, sicut serpens olim Ewam seduxit. Johannes  
illam Ecclesiam, in qua dominatur unctio spiritus, admonet, ut  
à seductoribus sibi caveat. Epist. 2. v. 18 & expressè addit conditionem v. 24. Si permanes in vobis, quod ab initio audistis & vos  
in Filio & Patre permanebitis.*

31. *Eiusmodi conditiones alibi passim occurunt. Joh. 8. v. 31. Si in sermone meo manseritis, verè discipuli mei eritis. 1. Tim. 6. v. 3. Qui alter docet & non acquiescit sanis sermonibus Christi & ei, qua secundum pietatem est doctrine, superbus est, nihil sciens, languens circa questiones & pugnas verborum. Hebr. 3. v. 14. Partitipes Christi effecti sumus, si tamen initium substantie usq; ad finem firmum retineamus, v. 6. Domus Dei sumus, si fiduciam & gloriam spei usq; ad finem firmam retineamus. Ac si visibili Ecclesia N. Test. absolute promissum esset non errandi privilegium, quorū forent admonitiones de cavendis Pseudoprophetis Matth. 7. vers. 15. De probandis Spiritibus, an sint ex D & O 1. Johan. 4. v. 1.*

32. *Si dicas, particulares quidem Ecclesiæ errare posse, aliam verò nationem esse Ecclesia Catholica, qua sit firmamentum & columna veritatis 1. Tim. 3. v. 15. cui promissus sit Spiritus veritatis, qui eam ducat in omnem veritatem Johan. 14. v. 26. cap. 16. v. 13. Resp. Romana Ecclesia, quæ hodiè privilegium illud unicè sibi arrogat, non est Catholica, sed particularis Ecclesia, non minus quam reliqua Ecclesiæ particulares errori obnoxia, nisi regulam veritatis in Scripturis propositam teneat, siquidem nullum peculiare privilegium pro se adducere potest, quin imo ex Epistola Pauli ad Romanam Ecclesiam scripta manifeste patet, quod ipsa quoque periculo erroris & erroriorum sit obnoxia.*

33. *Quod attinet Catholicam Ecclesiam, eo nomine intelligitur vel universitas electorum, qui omnibus mundi temporibus ac locis vixerunt, vel Ecclesia visibilis, prout comparata est in externo verbi ministerio. Si priori sensu nomen Ecclesiæ Catholicae accipiatur, libenter fatemur, eam ab erroribus fundamentum salutis concernentibus esse liberam. Elegi enim, si vel maximè ad tempus etiam contra fundamentum errant,*

errent, tamen divinâ gratiâ ex erroribus illis iterum eluctantur; si amplectantur errores non repugnantes fundamento, illi igne crucis & temptationum exuruntur, ut salvi hant quasi per ignem. 1. Corinth. 3, v. 15, ac proinde in hac Ecclesia Catholica electorum potissimum complentur amplissimæ illæ promissio-nes divinæ.

34. Quod si posteriori sensu nomen Catholicae Ecclesie accipiatur, eam promissiones illæ, cum non sint absolutæ sed conditionales, non reddunt ab omni erroris periculo libera-ram, neque ex illis evinci potest, quod publicum visibilis Ecclesie ministerium perpetuò futurum sit incorruptum.

35. Quid enim fiet clarissimis illis prædictionibus Christi & Apostolorum? Matth. 24. v. 24. Surgent PseudoChristi & PseudoProphetæ & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur ( si fieri potest ) eriamelecti Luc. 18. v. 7. Cum Filius hominis venerit, putas inveniet fidem in terra? 2. Thessal. 2, v. 3 non venit dies Domini, nisi prius venerit in signo ( ubi mani-festè de generaliore quadam signo agitur, particulares enim jamdum contigerant complures ) v. 10. Quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittet illis Deus efficaces errores. Apoc. 12. v. 6. Mulier (typus Ecclesie) fugit in solitudinem, ubi ha-bet locum paratum à Deo. Apoc. 13. v. 8. Adonaverunt bestiam (Antichristi typum) omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vite Agni. Apoc. 17. v. 2. Cum meretrice Ba-bylonica (Antichristi typo) fornicati sunt Reges terra & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.

36. Hæ prædictiones non minus à Spiritu sancto editæ sunt, quam amplissimæ illæ promissiones ac evidenter docent, fore tempus, quo totius visibilis Ecclesia ministerium publicum futurum sit corruptum, uti paulò post latius demonstrabitur.

37. Promissiones igitur illæ de conservatione in veritate, de assistentia Spiritus sancti perpetua &c. sunt conditionales. Tunc enim Ecclesia visibilis in veritate conservatur, inquæ omnem veritatem à Spiritu sancto ducitur, quando celestis Pa-tris obsequentem filiam, Christi Salvatoris sui obsequentem sponsam & Spiritus sancti obsequentem discipulam fese pra-  
bodin

bet Joh. 8.v.32, cap 10.v.27. quando vestigiis doctrinæ Apostoliæ fideliter insistit; quatenus verò à doctrina Apostolica exorbitat, nec sequitur mediatum illum Spiritus S. ductum per verbum, etenus non amplius est pura & sincera; interim tamen enpuritaris sunt certi gradus, nec statim definit esse Ecclesia, licet... destinat esse pura.

38. Quod Ecclesia visibilis dicitur *columna & firmamentum veritatis*, inde accidit, quia nuspam in genere humano luet veritas nisi in Ecclesia, interim tamen ex eo non potest colligi, quod publicum visibilis Ecclesia ministerium semper sit omnino incorruptum. Dicitur etiam *columna & firmamentum veritatis*, quia custodit veritatem Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensam, transmittit eam ad posteros sive commendatione ac de veritate & certitudine Scripturæ testatur, quo respectu dicitur *extincta super fundamentum Prophætrum & Apostolorum* Ephes. 2.v.20. etenus etiam omnino audienda est vox Ecclesia. Sed ex eo non sequitur, quod in hoc agere Dominico non possint simul crescere zizania errorum, puritatem doctrinæ coelestis intermixta Matth. 13.v.25. Excitat autem Deus fidèles operarios, per quos infelix illud lolium sive in primo statim flore, sive postquam diu intermixum fuit tritico, eradicat, id quod Ecclesia Judaicæ ministerio Christi & Apostolorum, Ecclesia vero Christianæ ministerio Lutheri & Synergorum ipsius contigit.

39. Firmum igitur ac fixum esto, respectu habito ad puritatem & libertatem ab omni errore nullum esse discrimen, inter promissiones datas Ecclesiæ Veteris ac Ecclesiæ N. Test. Unus utробique Ecclesiæ sponsus, una eademq; fides, unus Spiritus, una p̄s, una confessio, una coelestis hereditas Ephes. 4.v.3. & seqq. ac civitas una, licet in externis ritibus accidentaria quædam differentia occurrat, sicut Augustinus in libris de civitate Dei latè probat.

II.  
40. Atque hoc est primum responsionis nostræ ad Jesuiticum discursum membrum. Alterum hoc esto. Quando inter eos, qui sunt in Ecclesia, id est, qui Christum profitantur, & scripturas utriusque Testamenti amplectuntur, de sinceritate ac puritate doctrinæ questio est, tunc ex principio communni, hoc

Ali, hoc est, ex Scripturis sacris disputandum est; se posita paulisper questione de Ecclesia.

41. Si gentilis de veritate doctrina Christianæ querit, eum eo non potest in primo statim congressu ex Scripturis sacris disputari; eas enim nondum agnoscit esse à Deo editas, deducendus igitur est ad testimonium Ecclesie primitivæ, à qua Ecclesia hodierna testimonium suum de libris Canonicis mutuatur.

42. Sed quando in ipsa Ecclesia, id est, inter eos, qui Christum profitentur, & Scripturas sacras utrinque amplectuntur, de sinceritate doctrinæ questio est, tunc non potest fieri initium à loco de Ecclesia, utraque enim pars vera & sinceræ Ecclesia titulum sibi arrogat, sed ex Scriptura petendum, utra pars reverâ illum obtineat.

43. Quâ de re pii veteres sic differunt. Augustin. in lib. de unit. Ecclesiæ cap. 2. Inter nos & Donatistas questio est, ubi sit Ecclesia? quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsturis sumus, an in verbis capitioi sui Domini nostri? puto quod in illius verbis eam querere debeamus, qui est veritas & speciem novit corpus suum. Lib. ejusdem cap. 3. Sunt certè libri Dominici, quorum autoritatib; utrig; credimus, utrig; servimus, ibi queramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Autor oper. imperf. homil 49. in Matth. In tempore hoc, ex quo obtinuit heresis Ecclesiæ, non potest esse ultra probatio vere Christianitatis neg. refugium Christianorum aliud volentium dignoscere fidei veritatem, nisi Scriptura divina. Hujus generis plura adduximus Loc. de Eccles. §. 138.

44. Sufficit igitur nobis, quod doctrinam nostram ex Scriptis Prophetarum & Apostolorum, quæ utraque pars disceptantium Divina & Canonica esse agnoscit, infallibiliter demonstrare possumus (id enim nos posse in Comitiis Augustanis Anni 30. Ecclius & ipsius complices quodammodo fatebantur, concedentes Augustanam Confessionem ex Scripturis solis refutari non posse) ex eo enim immore colligimus, Ecclesiam nostram esse veram & Apostolicam propter consanguinitatem, ac conformitatem cù doctrina Apostolica, quæ est veluti Ecclesie anima, licet non possimus dìgo indice ostendere, ubi locorum inde à tempore Apostolorum extiterit.

45. Quia

45. Quia enim vera Ecclesia nunquam penitus interit ac deficit, ideo ex promissionibus illis divinis perpetuitatem Ecclesie nostrae immotam ratione deducimus. Elias non poterat in individuo monstrare coetum illum septem millium hominum, qui non curvaverant genua sua coram Baal 1. Reg. 19. v. 18. absit tamen, ut propterea inferre quis velit, nullos ejusmodi cultores veri Dei & stipulatores veræ fidei reliquos mansisse.

III.  
46. Respondemus igitur tertio, distinguendum esse inter Ecclesie perpetuitatem, ejusdemque in publico Ministerio ab omni errore plenariam sinceritatem. Ecclesiam perpetuam mansisse ac ad finem usque mundi perpetuam mansuram esse credimus, sed publicum visibilis Ecclesie Ministerium ab omnibus penitus errore semper fuisse ac fore liberum negamus, id enim prædictionibus divinis & Historiaæ tam V. quam N.T. Ecclesie fortiter refragatur.

47. Prædictiones & Historias V. T. omnes enumerare non videtur operæ premium, cum de Ecclesia V. T. concedatur ab adversariis, quod non fuerit ab errandi periculo immunis. Quid manifestius oraculo illo Propheticō Azaria 2. Paral. 15. v. 3. Transibunt multi dies in Israele absq; Deo vero, & absque Sacerdoti, & absq; Doctore, & absq; Lege, cui conforme est illud Osee cap. 3 v. 4. Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Referantur hūc Historiaæ Exod. 32. v. 3. ubi torus populus idolatriam exercet adorando vitulum, nec erat aliquis visibilis coetus Deum sincerè & publicè colens. 1. Reg. 19. v. 10. ubi Elias conqueritur, eversa esse Dei altaria, Prophetas occisos & se solum esse reliatum. 2. Reg. 17. & cap. 21. 2. Paral. 28. per integra capita, ubi graves extant querela de corrupto publico totius Ecclesie visibilis ministerio.

48. Et quia non potest haec in parte ostendi diversitas inter Ecclesiam Israeliticam Veteris & Christianam Novi Test. ideo illa omnia pro nostræ sententia confirmatione restat adducuntur, ac tamdiu immota persistunt etiam ad N. Testam. Ecclesiam accommodata, donec adversarii evidentem diversitatem ex Scripturis probent.

49. Sed accedemus propriis. Tempore passionis Christi  
quænam

quænam erat sinceritas publici Ministerii in Ecclesia? quis visibilis ejus splendor? Synagoga Judaica, quæ gloriabatur de titulo veræ Ecclesiæ, Christum unicum Ecclesiæ sponsum & caput crucifixerat, populus suffragium ei præbuerat, Judas apostataverat, Petrus negaverat, discipuli profugerant ac in privatis ædibus latitabant, Christus in cruce pendebat, inde quidam Pontifici referente Bellarm.lib.3. de Eccles.cap.ult. statuunt, Ecclesiam tunc in sola virgine Maria fuisse servatam, in cuius rei signum tribus noctibus ante Pascha candelam unam religuis extinxit in Ecclesia ardere solere.

50. Deinde consideretur emphasis prædictionum superius §.35.enumeratarum.Matt.24.v.11. Luc.18.v.7,&c. Si Ecclesia in publico verbi Ministerio perpetuò erit sincera & incorrupta, si perpetuò ostendi potest visibilis aliquis cœtus publicè consitentium veram & sinceram fidem, quorsum pertinent hæ prædictiones Christi? Si ventura est publica & penè universalis quedam ~~versio~~ 2. Thess.2.v.3. à vera fide ut exponitur i. Tim.4. v.1. quomodo publicum Ecclesiæ Ministerium semper erit incorruptum? Si mulier, Ecclesiæ typus, cogitur fugere in solitudinem Apoc.12.v.6. Ecclesia non semper erit talis conspicuus & visibilis cœtus, qualis est cœtus populi Romani, vel regnum Gallie, vel Repub. Venetorum, ut de ea loquitur Bellarm.lib.3. de Eccles. cap.2. Certè Apoc.13.v.3 ὅλη γὰρ τοτε termam dicitur bestiam secuta, cuiusmodi vaticinia Ecclesiæ statum depingentes in Apocalypticis illis tabulis extant complura. Ergo non solum aspiciendæ sunt promissiones sub certâ conditione Ecclesiæ datae, sed etiam considerandæ sunt tristes illæ prædictiones de misero & corrupto ejusdem statu.

51. Tertiò consideretur Historia decem persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus. Tunc fideles latuerunt in cryptis & cavernis, non potuerunt semper publicè exercere divinum cultum. In decima persecutione, quæ fuit omnium gravissima, eversa sunt tempora, Ministri Ecclesiæ in deserta expulsi, libri sacri ignibus exusti, Christiani magno & ferè in numero numero ad supplicium rapti, adversarii contrâ gloriati, etiam nomen Christianum à se funditus extirpatum. Quis tunc fuit externus Ecclesiæ

Ecclesiæ splendor? ubi tunc fuit cœtus visibilis veram fidem  
publicè semper profitentium?

52. Neve quis obvertat, non de persecutionibus, sed de  
erroribus esse quæstionem, an illi in publico Ecclesia Ministe-  
rio locum habeant, ideo jubemus quartò considerari Ecclesiæ  
statum, qualis fuerit tempore Arianismi. Hieronym. in Dial.  
contra Luciferian. dicit, ingemuit orbis errarum & se Arianum  
esse miratus est. Idem in Psal. 133. Ante annos quindecim auct. viginti  
parietes omnes Ecclesiæ hareticis (Ariani) possidebant, Ecclesia  
autem venum illic erat, ubi vera fides erat. Ante Hieronymum Hila-  
rius lib. contra Auxent. conqueritur: Malè vos parietum amor  
cepit, malè Ecclesiam Dei in teatris adiutorijs veneramini, malè sub  
hunc pacis nomen ingeritis, montes mibi & lacus & carceres & vor-  
agine sunt tutiores. Idem in lib. de Synodis dicit: Rarum esse  
apud Orientales invenire aut Episcopum aut populum Catholicum,  
sed ubiq; scandaia, ubiq; schismata, ubiq; perfidias, (ex quo colligit  
Erasmus prefat. in Hilar. Ariana factio tempore Hilarii tam altè  
radices egere & sic invaluere, ut mundus aliquandiu nutaret an-  
ceps, utram in partem se inclinaret, præsertim cum per Constantium  
Augustum exitiis, direptionibus, minis ac terroribus compelleretur  
accedere partibus Arianorum. Proinde non habet locum exce-  
ptio Bellarmini, quod Hilarius de Mediolanensi Ecclesia so-  
lummodo loquatur) Athanas. in Epist. ad solitar. vitam agentes.  
Quæ nunc Ecclesia liberè Christum adorat? siquidem ea, si pia est,  
periculo subjacet, nam si alibi sunt pii & Christi studiosi, siquidem  
ubiq; tales sunt permulsi, illi itidem ut magnus ille Prophetæ abscon-  
duntur & in speluncam & in cavernas terræ sese absfrudunt, aut in  
solitudine obernantes commorantur.

53. Quintò proferri possunt publicæ totius Christiani  
orbis querelæ de corrupto Ecclesiæ statu proximis ante Luthe-  
rum seculis passim auditæ, quas ex Bernardo, Aventino, & aliis  
Scriptoribus magno numero Catalogus testimoniū veritatis, & Jo-  
hannes Wolfssius in Lectionum memorabilium Centenariis  
prolixè recensent. Provocat Wolfssius ad tremendum Dei judi-  
cium, coram quo nobis omnibus comparendum, quod nihil de  
suo adsecerit. Extant centum gravamina Nationis Germanicæ  
tempore Maximiliani I. ex publicis Imperii Comitiis ad Cu-  
riam.

riam Romanam transmissa, in quibus multæ corruptæ taxantur, quinimò ipse Pontifex Adrianus VI. instructione Legatorum suorum ad Conventum Norinbergensem conquestus est, à plantæ pedis ad verticem usq; capitis nihil esse sanum in roto corpore Ecclesiastici ordinis. Sed non arbitramur operæ precium, ejusmodi querelas, quæ afferri possunt longè plurimæ, prolixius hoc loco recensere, quas qui clausis auribus præterit ac Romanam Ecclesiam ab omnibus corruptelis semper fuisse & esse liberam somniant, eum validè surdastrum esse opert.

54. Denique Bellarmin. lib. 3. de Pontif. Rom. cap. 7. de temporib. Antichristi, quem adhuc venturum expectat, sic difficit, quod tunc omnes publicæ religionis ceremonia & sacrificia sint cessa tura. Anglo Remenses in annot. Apoc. 12. fatentur, fieri posse, ut Ecclesia aliquando non habeat publicum splendorem, publicum statum & regimen, nec libera Sanctorum munierum exercitia. Quis igitur tunc erit exterius Ecclesiæ splendor? quæ Ministeriis publici sinceritas ac puritas?

55. Respondemus quartò idipsum nostros dicere, quando inter Ecclesiam visibilem & invisibilem distinguunt. Sed quia adversarii hanc distinctionem graviter oppugnant ac Ecclesiam invisibilem vocant fidam, piætam, phantasticam, Utopicam, imaginariam, &c. si deinde hæc distinctio primùm rectè explicanda, postea validè munienda.

56. Quando Ecclesia dicitur invisibilis, id sit duplici respectu. Primo respectu electorum, quorum coetus in visibili Ecclesia latet, nec est humanis oculis obvius. Certum enim est non omnes, qui sunt membra visibilis Ecclesiæ, esse etiam electos, siquidem multi sunt vocati, pauci vero electi Matth. 20. v. 16. cap. 22. v. 14. Certum & hoc est, oculis humanis non posse electos ab hypocritis in coetu visibilis Ecclesiæ discerni, sed solius Dei oculis sinceram eorum fidem & caritatem agnosciri, nos homines probabiliter tantum ex operibus externis hoc agnoscere possumus, inde igitur coetus electorum in visibili Ecclesia latens dicitur Ecclesia invisibilis; non quod quæramus extra coetum vocatorum sive extra visibilem Ecclesiam electos, sed uti dictum, quia electi, quatenus tales, non sunt humanis oculis exposti.

IV.

C 2

57. Fru-

57. Frustrè igitur objiciunt nobis Adversarii, quod exco-  
gitaverimus hanc distinctionem, ut possemus obtinere illam dicitur,  
quod in Papatu etiam manerit verum Ecclesia. Nam adhuc hodie,  
quando per Dei gratiam lux Evangelii in nostris Ecclesiis cla-  
rissimè fulget, locum tamen obtinet distinctione inter Ecclesiam  
visibilem & invisibilem, ut ex dictis constat.

58. Deinde dicitur Ecclesia invisibilis respectu externi  
splendoris & omnimode in doctrina puritatis ac sinceritatis.  
Quamvis enim Ecclesia fundata sit super perman firmissimam  
Matth. 16 v. 18 non tamen semper fulget splendore externo,  
nec semper habet Ministerium publicum ab omni errore libe-  
rum, quando scilicet vel à tyrannis vel ab hereticis obscuratur &  
obnubilatur. Neque tamen definit esse Ecclesia, neque denega-  
tur aliis ad eam accessus. Quamvis enim publicum ejus Mini-  
sterium sit corruptum, tamen retinet Scripturam sacram, reti-  
net Symbolum Apostolicum, ac unâ cum fermento corrupte-  
larum asperso doctrina Prophetarum & Apostolorum in li-  
bris ipsorum etiam corrupti Ministerii tempore sonat, quin-  
etiam Deus subinde aliquos excitat, qui corruptelas & abusus  
taxant, sicut Historia Papatus superioribus seculis dominantis  
clarissimè evincit. Probationem distinctionis inter Ecclesiam  
visibilem & invisibilem alibi deditum.

V. 59. Respondemus igitur quinque, distinguendum esse in-  
ter Papatum & inter Ecclesiam sub Papatu, sicut 2. Thess. 2. v. 4.  
distinguitur inter Antichristum, qui sedet in templo Dei, & tem-  
plum Dei, in quo sedet Antichristus. Papatus, hoc est, errores  
Papales de superioritate (vel ut Rainoldus loquitur, suprematu)  
Pontificis ἀναρρωγην, de meritis, satisfactionibus, operibus  
supererogationis, purgatorio, invocatione Sanctorum, &c. pu-  
blicum visibilis Ecclesiae Ministerium superioribus seculis cor-  
rupserant & occupabant, Deus tamen sub Papatu semen sanctum  
sibi servavit, & adhuc hodie in mediis Papatus tenebris, adeoque  
in ipsa Roma sibi servat.

60. Sonuit in Ecclesia etiam dominantis Papatus tem-  
pore verbum Prophetarum & Apostolorum, ex quo singulis  
diebus Dominicalibus ac Festis pericopæ quadam populo  
fueré pralectæ, detentum fuit Symbolum Apostolorum, recita-  
tus

tus fuit Decalogus, usitata oratio Dominica, prælecta fuit Historia passionis Dominicæ, Baptismi substantia mansit integra, ex Hortulo animæ & libellis aliis consolatoriis prælectæ fuere morientibus preces suavissimæ, &c. Deus igitur per corruptum Ministerium publicum potuit sibi Ecclesiam colligere & verè etiam collegit. Siquidem verbum Dei nunquam rediū vacuū. Es. 55. v. 11. aures plurimorum auditorum fuere putiores quam labia docentium, acceptarunt doctrinam illam, quæ in Decalogo, Symbolo Apostolico, Oratione Dominicæ, Pericopis Evangelicis, Historia passionis, &c., publicè sonuit, repudiato fermento corruptelatum eidem superaddito.

61. Quemadmodum igitur tempore dominantis Baalitismi ac Pharisæismi in Ecclesia V. T. vera doctrina conservata fuit & publicè sonuit in Codice Biblico, in quo ea continetur. Act. 15. v. 21. ita quoque in medio Papatu nostra doctrina sonuit, quoties textus Biblicus è suggestu fuit prælectus, siquidem illam ipsam, non aliam doctrinam & fidem prædicamus, quam quæ ab Apostolis est prædicta & in scriptis ipsorum Ecclesiæ commendata.

62. Si adversarii morosè urgeant & postulent monstrari sibi certum, visibilem ac separatum eorum cœtum, qui eandem doctrinam nobiscum publicè fuerint professi, remittimus eos ad statum Ecclesiæ tempore Baalitismi & Pharisæismi, ubinam tunc monstrari potuit cœtus doctrinam Propheticam puram & incorruptam publicè professas?

63. Quid quodd non solum infantes baptizari in vera fide in Baptismo accepta decedentes, moribundi in uno Christo omnem salutis fiduciam collocantes, Christiani quamplurimi super abusus & corruptelas ingemiscentes, inque fidei Apostolicae simplicitate acquiescentes, sed etiam Martyres & constantes fidei assertores dominantis Papatus tempore fuerint membra vera Ecclesiæ Papali Tyrannie pressæ!

64. Quid de Ecclesiis Græcis, Æthiopicis, &c. quid de Waldensium Ecclesia dicemus, quæ licet suos habuerint errores ac navos, tamen longè puriores fuerunt Ecclesiæ Romanæ. Rainerius in summa. Nulla fuit secta perniciöser Ecclesia (Romanæ Apostatica) quam Pauperum de Lugduno seve Waldensium,

finis. Primo quia diuturnior: Quidam enim dicunt, quod dumverit à tempore Sylvestri, ali à tempore Apostolorum eam deducunt. Secundo quia generalior, nulla enim ferè terra est, in qua hac Secta non serpat. Tertio quod omnes alie cum immanitate blasphemiarum in Deum horrorem inducant, hac sola Waldensium magnaria habet speciem pietatis, quod coram hominibus justè vivant & bene omnia de Deo & omnes articulos credant, qui in Symbolo continentur, solam Romanam Ecclesiam blasphemant & dicunt, eam esse Ecclesiam malignantem & meretricem, qua sedes super bestia in Apocalypsi & quod defecit sub Sylvestro, cum venenum temporum illud in Ecclesiam infusum. Thuanus lib. 6. Hist. p. 125. hæc recenset Waldensium dogmata. Ecclesiam Romanam, quoniam vera fide renunciavit, esse meretricem Babylonicam & arborum illam sterilem, quam Christus diris devovit, proinde minimè parentum Pontificis & Episcopis, qui ejus errores fecerint; Monasticam vitam esse Ecclesie sentinam, vanam illius vota, ignem purgatorium dari nullum, sacras literas continere viam ad salutem necessaria, Sacramenta esse tantum duo, communionem sub utraque specie esse necessariam, Sacerdotib. debere permitiri conjugia, Christum esse unicum Mediorem nostrum, nec ultra ratione esse Sanctos invocandos, &c. Reliqua, quæ his adduntur, per invidiam illis affligi fastus est ipsorum Cardinalis Sadoletus.

65. Sed nullà necessitate cogimur ad illa particularia descendere, sufficit demonstrasse, quod nucleus Christianismi in Ecclesia tempore dominantis Papatus fuerit conservatus, licet varia putamina corruptelarum, traditionum, errorum & superstitionum fuerint superaddita. Lutherus igitur secutus mandatum Dei Jerem. 15. v. 19. separavit preciosum à vili, retinuit nucleus, abjecit putamina; non fuit autem Ecclesia novæ essentialiter à veteri diversa, sed veteris Ecclesie repurgator, abstensis errorum tenebris pristinam doctrinæ Christianæ lucem restituit; non dituit templum Dei, sed Antichristum, in eo sedentem, id est, dominiantem & corruptelas doctrinæ demonstravit.

66. Apud Petrum Paulum Vergerium in Dial. 4. contr. Hesum tom. i. oper. f. 237. cali similitudine illud ipsum declaratur. Si contingere, ut nonnulli ex Senatoribus Veneris occupata illuc

illic perpetua Diabolaturà conculcatisq; legibus sumمام reram ad se  
traherent. Et pro libidine regnantes cogerent reliquias turpiter ser-  
vire; postquam autem eam Tyrannidem per aliquot menses exer-  
ciuissent, Deus misericordia occasionem, quā Respub. ejclis Tyrannis pristi-  
nam libertatem inciperet recuperare atq; gloriam, explodendi essent  
Tyranni, qui de civibus enitentibus Reipubl. libertatem instaurare  
hoc modo conquererentur. Cur praeceditis vos à nostra dominatio-  
ne? cur à Reipubl gremio disceditis? Sic & nos non discedimus ab  
Ecclesia Christi, immo cupimus eam in libertatem vindicare instaura-  
ramus, cum ab ipsis diu fuerit miserè oppressa; sed ab illis, qui eam  
opprexerant, discedimus.

67. Ecclesia jubetur egredi Babylone Apoc. 18. v. 4. ergo  
fuit sub Babylonis captivitate velut triticum in palea. Quamvis  
enim Papismus per totum visibilis Ecclesiae corpus superiori-  
bus seculis fuerit dispersus: tamen Deus servavit sibi semen-  
sanctum, ac habuit populum, qui recte ipsum coluit. Quod au-  
tem de Romana Ecclesia dicimus, in ea Deum habuisse suos ele-  
ctos, id dici nequit de Turcis & gentilibus, quod inter eos con-  
seruetur etiam Ecclesia invisibilis, cum inter hos nulli sint ele-  
cti, nec supersint Scriptura, nec administretur Baptismus, nec  
præstdo sint illuminationis & conversionis media proxima.

68. Quemadmodum limes affluxu limosa terre obtu-  
tus si repurgetur, idem manet limes: sic nos non transferimus  
limites ab antiquis, Prophetis scil. & Apostolis positos, sed li-  
mum traditionum & corruptelarum illis supervectum remo-  
vemus. Quemadmodum fluvius in progressu cursus sui reddi-  
tur turbidus ita quoque doctrinæ Apostolicæ puritas ceno-  
humanarum opinionum fuit turbata & contaminata; remoto  
illo ceno manet idem fluvius, sed limpidor redditur.

69. Eusebius Scriptor antiquissimus testatur, Ecclesiam  
non diu post Apostolorum tempora mansisse virginem, & ostendit  
hoc ipsa inclinatio doctrinæ singulis seculis facta, quam Mag-  
deburg Centurie annotarunt. Conferantur decreta Tridentina  
cum disputationibus Scholasticorum; Disputationes Scho-  
lasticorum cum scriptis Patrum; Scripta Patrum cum doctrina  
Apostolorum in ipsorum scriptis adhuc sonante, & liquido ap-  
parebit, quomodo paulatim à simplicitate & sinceritate do-  
ctrinæ

ctrinæ ad impropias locutiones; ab impropiis locutionibus  
ad opiniones; ab opinionibus ad errores; ab erroribus ad hæ-  
reses progressus fuerit factus. Ambitio Episcoporum, certamen  
Pelagianum, securitas hominum, &c. occasionem dedere cor-  
ruptelis in Ecclesiam invecsis. Qui verò somniat, uniformem  
semper fuisse Ecclesiæ visibilis statum, is in Historia antiquita-  
tis se planè hospitem esse ostendit.

70. Erat Ecclesiæ facies pulcrè ornata tempore Aposto-  
lorum & Martyrum, ubi ob persecutions quidem latebat, sed  
quoad fidei puritatem verè fulgebat. Erat deinde facies ejus  
nonnihil maculata tempore Patrum, præsertim posteriorum,  
ubi à prisca simplicitate paulatim deflectebatur & humanæ o-  
piniones doctrinæ Apostolicæ admiscebantur. Postmodum  
erat prorsus deformata tempore dominantis Papatus, sub quo  
totum doctrinæ corpus laceratum ac disiectum fuit. Ultimis  
hisce temporibus denuò est reformata & pristino fidei Aposto-  
licæ nitorि restituta.

71. Experimentum hujus rei ciant Adversarii ac de-  
singulis doctrinæ nostræ capitibus à Papali differentibus ex  
Prophetarum & Apostolorum Scriptis nobiscum disputerent &  
liquidò apparebit, à qua parte stet veritas. Quinimò qui in su-  
periorum seculorum Scriptoribus Pontificiis plenarium con-  
fensem querit, in aere se piscari intelliget. Sine scrupulo in nos  
recipimus, quod omnia & singula doctrinæ nostræ capita cum  
Pontificiis controversa ex ipsis Pontificiorum Scriptorum ver-  
bis probare velimus. Bellarminus negare nequit, multos ex  
Pontificiis Scriptoribus in quibusdam articulis nobiscum sen-  
tire, sed addit, illos Romane Ecclesiæ judicio se & sua scripta submi-  
sse. Atqui illud nondum efficit, quod minus revera senserint &  
scripserint, quod in ipsorum scriptis legimus; hoc verò ex illa  
subjectione elucescit, quod ficticiam Romane Ecclesiæ autori-  
tatem clarissimæ veritatis luci, quæ clausos etiam oculos quan-  
doque ferit, præpostere anteferre voluerint.

72. Hisce igitur præmissis ac præsuppositis, facile intel-  
ligitur, quid ad quæsitus adversæ partis, (ubi ante Lurberum  
fuerit Ecclesia) sit respondendum. Triplicem ex nostra hypo-  
thesi formant responsonem ac neutrām quæsito satisfacere  
sta-

statuunt. Atqui ex ante dictis & probatis patet; & extra Ecclesiam Romanam & in Ecclesia Romana vera Ecclesia membratum temporis fuisse.

73. *Extra Ecclesiam Romanam* fuerunt. 1. Ecclesiae Graecæ. 2. Waldenses. 3. Confessores ac Martyres, qui Pontificie Tyrannidi & erroribus Papalibus publicè contradixerunt atque hoc nomine persecutionem passi sunt gravissimam. Quamvis verò ipsorum confessiones non fuerint ab omni errore penitus liberæ, tamen sinceriores ac puriores fuerunt Romana.

74. *In ipsa Romana Ecclesia* fuerunt infantes, moribundi ad Christum unicum Mediatorem conversi, Christiani in fiduci Apostolicæ simplicitate acquiescentes, qui licet ratione loci vel publicâ confessione sese non separaverint ab Ecclesia Romana, tamen fuerunt vera Ecclesiae sub Papatu Christo collectæ & conservatae membra.

75. Quando ergo querunt, *in quanam orbis regione Lutheri doctrina ante centum & decem annos* fuerit *predicata?* Respondemus, prædicata fuit in Codice Biblico publicè in Ecclesia præelecto, extra illum enim nullum fidei articulum docemus; locum etiam obtinuit hæc doctrina in cordibus plurimorum, quos tām novit Deus, quām septem illa hominum millia, qui tempore Eliae non curvaverant genua sua coram Baal. 1. Reg. 19. v. 18. Rom. 11. v. 4. nos verò tām non possumus eos in individuo nominare, quām illi ab Eliae nominati poterant.

76. Querunt, ubi tum latuerint veri Confessores? Respondemus, multi latuerunt persecutionibus pressi, quos propterea etiam nominare non possumus, multi etiam in publicum progressi masculè restiterunt Pontifici & erroribus Papalibus.

77. Si fuissent, inquit, ante Lutherum Lutherani, illi mox audita ipsius predicatione catervatim ad ipsum confluxissent. Resp. hoc omnino factum fuisse, Historia illorum temporum testatur. Plurimi enim primo statim intuitu Lutheri scripta approbarunt, seque idem credidisse & credere constanter affirmarunt, plurimi etiam in diversis ac longè dissipatis regionibus per universam Europam mira celeritate & animorum consen-

sione doctrinam Evangelicam receperunt, cuius rei testem producimus ipsum Bellarminum, qui in præfat. tom. 1. controv. præfixâ sic disserit: *Quis ignorat pestem Lutheranam in Saxoniam paulo antè exoriā mox Germaniam penè totam occupasse; inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Norvegiam, Sueciā, Gotiam, Pannoniam, Hungariam absunisse, tām ad Occidentem & Meridiem par celeritate delataam, & Galliam, Angliam, Scotiam florenissima quondam regna brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcedisse, & in Italiā usq; penetrasse. Et in Orat tom. 4. præmissâ sub finem: Volantes currus minima indicant velocitatem, quā nova ista Secta (Lutherana) instar pestifer tabis lese per varias regiones effudit. Nam non contenta Occiduo & Aquilonaribus regni ad Orientem quoq; & Meridiem, ad Grecos, ad Indos, ad ipsum novem orbem navigare ausa est.*

78. Negant, salvis nostris hypothēsis affirmani posse, Romanam Ecclesiam tum temporis fuisse veram Ecclesiam, cū statuamus, tam multis erroribus fuisse obnoxiam. Atqui diximus superius, distinguendum esse inter Papatum in Ecclesia & Ecclesiam sub Papatu. Papatus publicum visibilis Ecclesiæ Ministerium corruptit, interim per hoc corruptum Ministerium. Deus sibi filios & filias vera Ecclesiæ membra mediante Verbo & Sacramento Baptismi generavit, servavit sibi semen sanctum, atque ut verbo dicam, reliquit sibi aliquot millæ eorum, qui Papales illos errores publicè grallantes non sunt amplexi.

79. Quæ contra hanc respositionem proferuntur, omnia dexterim explicantur adhibitâ distinctione inter Ecclesiam puram & corruptam. Ecclesia corrupta (qualis facta est Romana) desinit esse pura propter errores varios in eam inventos, (quin mò si corrupelas & errores contra fundamentum pugnantes scienter approbet & pertinaciter propugnet, si Ecclesia apostatica) sed non planè desinit esse Ecclesia propter Verbum, Baptismum, Symbolum Apostolicum, &c. quæ adhuc remanent & per quæ in mediis Papatus tenebris Deo collecta fuit sancta electorum Ecclesia.

80. Sic cœtus hæreticorum non sunt Ecclesia; intermixti in illis ipsis locis, in quibus hæretici publicum Ministerium

rium occupant, Deus per Verbum & Baptismum adhuc reliquum colligit sibi aliquam Ecclesiam, ut probant exempla infraeunt baptismorum & adulorum, qui remotis corruptelis puritatem verbi amplectuntur, quidam etiam erroribus contradicunt. Parte ratione in Papatu (nomine generaliter & collectivè accepto pro toto cœtu eorum, qui degunt in illis locis, ubi publicum Ministerium erroribus Papalibus est corruptum) quidam errores Papales pertinaciter amplectuntur ac violenter propagant, hi non sunt de Ecclesia, sed Ecclesiam apostolicam constituant, hi etiam nomine Papatus (propriè specificè & formaliter accepto) intelliguntur, quidam vero per Baptismum Christo inserti moriuntur in infantili ætate; quidam in agone mortis exultis errorum stipulis retinent fundatum; quidam ingemiscentes super abusus & corruptelas in simplicitate fidei Apostolice in Symbolo proposita acquiescunt; quidam etiam erroribus contradicunt, ut testantur rogi & gladii, hi sunt vera Ecclesia membra, hos pro suis Deus agnoscit.

81. Provocant ad librum Lutheri contra Hanß Wurst Ann. 41. editum, in quo neget Evangelium ante se prædicatum esse, neget Ecclesiam errare posse, &c. Nos vero diligenter perimus ac fidelier monemus, ut dissertationem de Ecclesia in illo libro propositam fol. 42. & seqq. avem vengemur legant. Ostendit enim ibi *αὐτοὺς ἐλέγοντας* immortis ac perspicuis argumentis, nos haudquam ab Ecclesia antiqua Catholica secessionem fecisse, cum eundem Baptismum, eandem Coronam Dominicam, sub utraque specie administratam, easdem claves, idem Dei verbum sine admixto traditionum humanarum fermento, idem Symbolum Apostolicum, eandem Orationem Dominicam, eandem doctrinam de honore & obedientia Magistrati præstanta, de conjugio, &c. easdem etiam passiones cum illa communes habeamus.

82. Contrà vero probat, Ecclesiam Romanam hodie nam, quatenus approbat ac propugnat errores Papales, esse novam & ab antiqua Catholica Ecclesia discessisse, cum opiniones de meritis & satisfactionibus propriis, de indulgentiis, de aqua benedicta, de peregrinationibus, de fraternitatibus, de

una specie, de sacrificio Missæ, &c. ignota fuerint Apostolicæ & primitivæ Catholicae Ecclesiæ.

83. Postea subjicit. Fatemur, quod Ecclesia, in qua sedetis, à veteri Ecclesia itidem ac nostrâ descendat atq; eundem Baptismum, claves, textum Biblicum, pericopæ Evangelicas habeat; quin etiam fatemur, quod ab Ecclesia inter vos, non autem à vobis hæc omnia acceperimus; non habemus vos pro Turcis & Judeis, qui sunt extra Ecclesiam, sed de eo conquerimur, quod non maneat in Ecclesia, in qua per Baptismum renati esitis. Hæc omnia latè ibi probat, ac postmodùm addit: Fatemur, quod in Ecclesia sitis, imò in ea etiam sedeatis & regnetis, sed de Ecclesia vel membra Ecclesia non esitis amplius, sed in sancta illa Dei Ecclesia institutis novitatis, abusu, idololatrias, &c. Deus verò mirabiliter suâ potentia inter vos conservat infantes per Baptismum renatos, aliquos etiam adulteros circa finem vite in unicum Christi meritum omnem fiduciam sollocantes, ut ita vera antiqua Ecclesia cum suo Baptismo & Verbo Dei inter vos maneat ac Diabolus per tot novitatis & idololatrias eam non possit penitus delere.

84. Paulò pōst responderet postulato Adversariorum, quod novos articulos novæ ipsorum Ecclesie unā cum vera veteri Ecclesia doctrina recipere atq; aliquid de nostra confessione remittere debeamus. Hoc verò, inquit, est iniquum postulatum. Vera Ecclesia non est sicut arundo, sed est columna & firmamentum veritatis, non docet mendacia, non tolerat falsas doctrinas, sed unicè docet Verbum DEI; si verò unicum mendacium docet, est idololatrica, &c.

85. Hic quilibet videt, quod Lutherus de vera & sincera Ecclesia loquatur, quæ per corruptelas definit esse talis, interim tamen non negat etiam in Ecclesia corrupta posse retineri aliquid boni, per quod Deus etiā in corruptissimo Ecclesia statu cœtum aliquem salvandorum sibi colligit, id quod antea disserit verbis de Ecclesia Romana apostatica confirmaverat. Loquitur etiam de jure, quod vera Ecclesia non debeat scienter aliquid de veritate doctrinæ concedere & remittere in gratiam hostium, interim non negat visibili Ecclesia de facto evenire posse, ut ratione publici Ministerii aliquando fiat corrupta, quæ de re latè tractat in libro contra Bullam Antichristi Ann. 20. edit.

to tom. I.

to tom. 1. oper. Germ. Jen. f. 361. in explicatione Psalmi. iii. Ann.  
30. edita tom. 5. f. 215. in judicio de quibusdam controversis ar-  
ticulis eod. Anno edit. tom. 5. fol. 7. in Glossa ad Edictum Cæ-  
reum tom. eod. f. 310. in libro de Missa privat. tom. 6. f. 96. in ex-  
plicat. cap. 14 Joh. tom. 7. f. 102. &c.

86. Idem dicendum de definitione Ecclesiæ in Confes-  
sione Augustana tradita, quod scilicet loquatur de Ecclesiæ vera &  
sincera, cuius propria nota est sincera verbi prædicatio & legi-  
tima Sacramentorum administratio, interim tamen in corru-  
pto visibilis Ecclesiæ statu, qualis fuit tempore dominantis Pa-  
patus & adhuc est in illis locis, in quibus religionis Papisticæ  
exercitium unicè viget, non desinit esse Ecclesiæ, sed desi-  
nit esse sincera, quæ omnia ex superioribus pleniùs intelli-  
gi possunt.

87. Posterior discursus, *Unde sciamus, sacram Scripturam*  
*esse Verbum Dei?* paucioribus absolvit potest. Non provocamus  
ad solum Spiritus sancti testimonium internum, quod faciunt  
quidam Calviniani, neque ad solum Ecclesiæ testimonium ex-  
ternum, quod faciunt Pontificii; sed constituimus tres classes  
testium, qui de divina Scripturæ autoritate testantur.

88. Primus ac præcipuus testis est Deus ipse, sive quod  
idem est, Spiritus Sanctorum in Scripturis loquens & corda hominum de  
veritate confirmans. Altera classis testium complectitur inter-  
na Scripturæ *scriptio*, quæ revocari possunt ad quatuor po-  
tissimum fontes, Scriptorum manum, doctrinam, stylum  
& efficaciam.

89. Per manum Scriptorum intelligamus, quod Pro-  
phetæ, Evangelistæ & Apostoli suâ manu scribere vel subscribe-  
re confuerint. Doctrinæ majestas rerum veritate, sanctitate  
& sublimitate continetur. Veritas eluet ex mutuo consensu  
partium doctrinæ inter se & cum V. T. ex ecclesiis sincere notan-  
dis, ex Prophetarum cum earundem eventu exactissima con-  
venientia. Sanctitas in eo consistit, quod Dei voluntatem & of-  
ficii nostri debitum purissimè describat. Sublimitas con-  
sistit in mysteriis, quæ humana rationis captum longissimè  
transcendent.

90. In stylo eluet simplicitas & perspicuitas, verbo-

rum pondera & autoritas, quæ emicat ex assertionibus & præceptis, nullum in narrationibus, promissionibus vel comminationibus dubitationis vestigium. Præcepta non tam rationum, momentis quam Dei voluntate firmantur, &c.

91. Efficacia se exerit in conversione multorum & subjugatione adversariorum. Excitat in animis lectorum amorem veritatis & sanctitatis, inque adversis præbet certam consolationem. Amorem veritatis ostendit libera fidelium confessio ac Martyrum per sanguinem obsignatio, invictam Scripturæ firmitatem ostendit antiquitas, quod adversus tot furores persecutorum & Satanae machinas persistit atque adhuc persistit, invicta, &c.

92. Tertia denique testimoniis classis continet externa de Scriptura testimonia. Possunt enim ex omni hominum genere de ea proferri testimonia, inter quæ tamen summo gradu excellit Ecclesia testificatio.

93. Quod si jam queratur, unde divina Scriptura autoritas nobis innotescat? respondemus, distinguendum esse inter eos, qui sunt intra Ecclesiæ pomœria & eos, qui sunt extra Ecclesiam. Qui sunt intra Ecclesiæ pomœria, non querunt aut dubitant de autoritate Scripturæ divina, est enim principium, & est unicum veræ doctrina fundamentum. Si vero in temptationibus de ea incipient dubitare vel ex protervia in dubium eam revocent, perinde cum illis agendum atque cum iis, qui planè eam negant, dubitatio enim negationi est proxima, unde cùm Nobilis quidam Pontificia religione additus Dn. D. Gerlachio p. m. hanc questionem proponeret & Scripturæ autoritatem sibi demonstrari postularet, respondit ei Gerlachius, existimabam mihi cum Christiano esse negotium, sed video mihi perinde agendum, ac si res esset cum Ebreo principium Christianæ religionis negante.

94. Qui extra Ecclesiam sunt, illi vel ex toto negant divinæ Scripturæ autoritatem, ut gentiles: vel ex parte tantum ut Judæi, qui Veteris tantum Testamentum recipiunt. Hi ex V. T. libris de autoritate librorum N. T. convinci possunt, ut ostendit Augustini lib. 18. de civ. Dei c. 46. lib. 12. cont. Faust. cap. 23. &c. Cum

Cum illis si agendum, confugendum ad classem testium triplicem paulò ante propositam.

95. Quamvis verò internum Spiritus sancti testimonium sit præcipuum ac summum, quod etiam solum efficaciter hominem potest convincere, ab eo tamen non est faciendum initium in conversione negantium Scripturæ autoritatem vel de ea dubitantium, sed primò omnium deducendi sunt ad testificationem Ecclesie, quæ hac in parte fungitur officio præceptoris & manuductoris, quem paganus discipuli locum obtinens primum audiat, postea consideret interna ~~veritatem~~, antiquitatis, vaticiniorum, miraculorum, majestatis, &c. tum deum sequetur interna Spiritus S. testificatio; solum autem & unicum Ecclesia testimonium non est sufficiens medium, ut persuadeatur pagano divina Scripturæ autoritas, dubitat enim an illa sit vera Ecclesia, quam audit.

96. At, inquit, potest Ecclesie auctoritas multo credibilius argumentis aliunde probari, ex antiquitate, consensu gentium, miniculis, successione Pontificum, nomine Catholicæ, &c. Respond. hæc ac similes nota non sunt apodicticae, confusam igitur tantum notitiam parvunt, non autem distinctè probare possunt, quinam cœtus sit vera & Sacra Ecclesia, id enim unice ex sinceritate doctrinæ cum sacris literis per omnia congruente, firmiter, apodictice & immotè demonstrari potest.

97. Alibi illud latissimè probatur, hac vice unicum adducimus locum ex Stapletono Scriptore Pontificio in Lovaniensi Acad. quandam Professori Regio, qui in relect. princ. fid. controv. I. q. 5. art. 5. p. 113. sic disserit: Quemadmodum discernunt hominem à bruto parvuli quidem per externa lineamenta corporis & figuram hominis, quia judicium eorum non excedit sensum, adulati verò & rationis usum habentes, indoctrinatum & rudes, per operationes vite & functiones propriè humanas, ut loqui more humano, ambulare & similia; sapientes autem & prudenties, quorum judicium altius penetrat per animi prudentiam, aliasq. doles, homini adhuc magis excellenter proprias: Sic Ecclesia Christi a sapientibus quidem & spiritualibus ipsis, quales sunt Ecclesia Magistri & Passores, cognoscitur per sanam doctrinam, & rectum Sacramentorum usum, ab imperitis autem fidelibus & parvulis in fide, qui de doctrina

95 ipse



na ipsa in suis principiis & mediis consideratae judicare non possunt ; ab ipsis quoq; infidelibus, qui parum aut nihil norunt de Scriptura, per externam faciem & multitudinem populorum credentium ac Pastorum. Hęc omnia Stapletonus, ex quibus necessariò sequitur, externas illas notas esse dobias, incertas, communes, solam verò doctrinę sinceritatem & cum sacris literis conformitatem esse propriam, apodicticam & spiritualibus hominibus accommodatam notam.

98. Ipse etiam Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 2. §. dices ; concedit , aliquando ex hyporbesi Scripturam esse Ecclesiā no-tiorem , quando videlicet Scriptum est recepta & clarè loquitur & oritur quæstio de ipsa Ecclesia ; de suis verò notis cap. 3. §. His igitur : scribit , quod non quidem evidenter verum efficiant eam, cui competant esse veram Ecclesiam, sed tamen efficiant id evi-denter credibile.

99. Sed redeamus ad Jesuiticum Discursum , cui hanc opponimus probandi methodum. Quemadmodum Præceptor primò quidem præcepta proponit, postea verò eorum veritatem corroborat : Sic Ecclesia non solum afferit has esse divinas Scripturas, sed etiam assertionis suæ robur perit ex internis argumentis & ex testimonii omnis generis hominum, inter quæ Ecclesia primitivæ Apostolicis temporibus vicinæ testificatio excellit, tunc demum sequitur, ut Spiritus S. in corde hominis testetur interior & veritatem verborum suorum obsignet. Augustin. contr. Epist. Fundament cap. 5. Sequamur eos, qui primū nos invitant credere, quod nondum valamus intueri, ut fide valen-tiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non jam hominibus, sed D E O ipso intrinsecus mentem nostram firmante, & illuminante.

100. Sic Samaritani testimonio mulieris, quæ Christum audierat, ad ipsum primò manuducuntur, postea verò Christum ipsum audientes dicunt Johan. 4. v. 42. Non amplius propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est Salvator mundi. Par ratione testimonio Ecclesiæ velut quadam ~~per~~ ad Christum in Scripturis loquentem deducimur, postea autem ipsa Christi vox animos nostros ita percussit, ut non amplius propter solum Ecclesiæ testimonium creda-

credamus, sed ipsius etiam maiestatem, veritatem ac certitudinem verbi cœlestis Spiritus sancti operatione in cordibus nostris persentiscamus.

101. Ex his liquido appetet, in probanda Scripturæ autoritate nos non committere circulum, quia non remittimus homines ad solam internam Spiritus testificationem, sed addimus interea Scripturæ ~~certitudine~~ & testimonia externa præser-tim Ecclesiæ primitivæ. Hodierna enim Ecclesia hoc testimoniū suum accipit à primitiva, primitiva ab ipsis Apostolis, Apostoli à Christo.

102. Ecclesia primitiva, quæ ipsis Apostolos audivit, primâ acceptione librorum, voce Apostolorum & numero miraculorum ad Canonis autoritatem probandam excelluit. Pro-xima durantibus adhuc Apostolorum autographis primitivam antecelluit ampliori Prophetiarum N.T, complemento & versionum utriusque Testamenti in varias linguis frequentia & exarato variis libris fidelium de Scriptura sacra testimonio, se-quentem Apostolorum & Evangelistarum manu, primitivæ Ecclesiæ auditione & miraculorum numero superavit. Postrema autographis Apostolorum sublati majori solam prophetiarum complemento primitivæ & medium Ecclesiam antecelluit.

103. At, inquiunt, si creditis Ecclesiæ testificanti libros esse Verbum Dei, utique etiam absolute de aliis etiam dogmatibus ipsis credere debetis. Resp. magna hic est disparitas & ratio disparita-tis satis evidens. Testificatio de autoritate Scripturæ est confor-mis Dei Verbo & Spiritus S. testimonio, ut patet ex internis ~~certitudine~~, hac igitur in parte Ecclesia non errat, quia vox ejus Scripturæ est exactissimè conformis. Quid verò hoc ad alia do-gmata, quæ Scripturæ consensu destituuntur, ac præter, imò et-iam contra Scripturam honorabili Ecclesiæ schemate velata proponuntur. Ecclesia constituta est testis & custos divinorum oraculorum, nō autem accepit potestatem proprio lubitū con-tra claram literam textum Scripturæ interpretandi. Idem enim hoc foret, ac si infidelis Quæstor mandatum Principis chirogra-pho confirmatum accipiens sibi arrogaret potestatem interpre-tandi tenorem mandati proprio arbitrio contra expressam lite-ram. Sed de interpretatione Scripturæ alibi latè fuit dictum.

104. Quod Lutherus Epistolam Jacobi vocavit stramineam,

in eo non provocavit ad internum suum spiritum, sed ad testi-  
monium Eusebii Scriptoris antiquissimi, qui lib. 2. Hist. Eccles.  
cap. 23. dicit, *eam rogetur* & quia in hac Epistola non sit tam  
crebra mentio Christi & Evangelii, ut in aliis Apostolicis Epistolis.  
Postquam v. ex Hieron. in catal. illusfr. vir. cognovit eam tempore  
procedente in Ecclesia autoritatem obtinuisse, nō amplius tam  
objectione de ea sensit, neque n. ostendi potest in ulla Bibliorum e-  
ditione post ann. 1526. eam ita esse ab ipso evocatam. Præterea  
non simpliciter sed comparatè respectu ad Paulinas Epistolas  
habito eam sic vocavit, ut verba expressè testantur.

105. An quidam libri N. T. sint apocryphi dicendi, una  
distinctione expediri potest. Si dicatur Canonicum, quod ad  
probanda fidei dogmata tanquam ab Apostolis profectum ad-  
hiberi potest, hoc sensu omnes libri Bibliæ, qui in Codice N. T.  
continentur, sunt Canonicæ. Si v. dicatur Canonicum, de cuius  
Scriptore nullo unquam tempore in Ecclesia primitiva fuit du-  
bitatum, hoc sensu à reliquis N. T. libris distinguuntur Epistola  
ad Hebreos, posterior Petri, secunda & tertia Johannis, Episto-  
la Jacobi, Judæ & Apocalypsis, de quibus in primitiva Ecclesia  
ali quando dubitatum fuisse sigillatim probari potest; nos co-  
rum autoritatem minimè subterfugimus.

106. Num v. Pontificii ex solo Ecclesiæ testimonio divi-  
nam Scripturæ autoritatem ab hominibus cognosci afferentes,  
non cōmittant circulum, de eo ipsi viderint. Quare ex illis, qua-  
re credant, hos libros esse Verbum Dei? respondebunt, quia id  
constat ex traditione. Quare ulterius, quare credant traditioni?  
respondebunt, quia est Ecclesiæ traditio. Quare ulterius, quare  
credant Ecclesiæ? statim afferent dicta Matt. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ,*  
*1. Tim. 3. v. 15. Ecclesiæ est columna & firmamentum veritatis.* Vel  
igitur circulum cōmittunt, vel præsupponere coguntur, non ex  
solo Ecclesiæ testimonio, sed aliunde ex internis sc. *egregiis* au-  
toritatem Scripturæ cognosci ac Scripturam esse notiorem &  
certiorem Ecclesiæ in cognitione distincta, cum autoritatem  
Ecclesiæ ex ea probent, autoritas n. probans notior & certior  
est autoritate probata. Si ex Scriptura comprobanda est Eccle-  
siæ autoritas, necesse est Scripturæ autoritatem jam antè mihi  
debere esse sacrosanctam & authenticam, aliàs incertum per-  
sequè incertum probaretur.

107. Si

107. Si obvertant, Ecclesia autoritatem alio argumentis ac  
notis probari posse. Resp. aliud est quærcere de Ecclesiæ autoritate,  
aliud de Ecclesiæ veritate. Autoritatem Ecclesiæ tantum ex Scri-  
ptura, nequaquam v. ex aliis notis probant, veritatem suę Ecclesiæ  
ex credibilibus quibusdā argumentis probare satagunt, sed mo-  
ximus superiū, notas illas esse communes, non perpetuas, nec  
apodicticas, solam a doctrinæ puritatē Verbo Dei cōformem  
esse apodicticam & perpetuam sinceræ Ecclesiæ notam juxta  
evidentia dicta. Joh. 8. v. 31. Si in sermone meo misericordis, vere disci-  
puli mei eritis, v. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit, cap. 10. v. 27.  
Oves mee vocem meam audiunt, Ec.

108. Speramus potiora discursu*m* Jesuiticoru*m* capita esse discussa, ac seriis Ueum precamur gemitibus ut oculos eorum, qui in simplicitate fidei hisce spinosis questionib. turbantur, ab extero Romanæ Ecclesiæ splendore avertat, aures vero ad audiendum vocem Spir. S. in Scripturis sonantem aperiat, ne ~~ad~~ <sup>ad</sup> ducatur ac ~~ad~~ <sup>ad</sup> ducatur ejusmodi seducantur.

109. Fideliter a. & per viscera Christi eos obsecramus, ut  
toto systemate doctrinae Pontificia prius probè inspecto judi-  
cent, antequam quæstiunculis hujusmodi & antithesibus. *Iesu Sa-  
vii p̄f. 1. Tim. 6. v. 20. à simplicitate fidei, qua est in Christo*  
*2. Cor. 11. v. 3. sese abduci patianeat.*

no. Quisquis n. ab agnita doctrina Evangelica veritate ad Papatum deficit, is primò omnem religionis certitudine sibi ipsi eripit, quod non meis, sed Adversariorum verbis testatum faciam. Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 25 statuit, omnium dogmatum firmitatem pendere ab autoritate presentis Ecclesie. Si quæras, quid per Ecclesiam intelligat, respondet lib. 3. de Verbo Dei c. 3. esse Pontificem cum Concilio. Sed cum Concilia non semper haberi possint, cumque decreta Conciliorum non solum sibi invicem, sed etiam Papæ decretis aliquando repugnant, ideo lib. 4. de Pontif Rom. c. 2. concludit, ipsam infallibilitatem in iudicio doctrinae & fidei, non esse in cœtu Consiliariorum (Cardinalium) vel in Concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice. Ultima igitur fidei resolutio sit in scrinio Papalis pectoris.

III. Non dicemus hac vice, quam illud scrinium sit quandoque impurum, uti testantur Historia ac Coster in Enchir. c. 3. fatur fieri posse, ut Petri Successor (Romanus Pontifex) Diabolis-

*et artibus operam naver, illud solum monemus, quod ne ipsi quidem Pontificii adhuc hodie in questione illa cōsentiant, an Pontifex errare possit, necne? Sic n. Bellarm. lib. 4. de Pont. Ro c. 2. Secunda Catholicorū sententia est, Pontifice ut Pontificem posse esse hereticū, id sequitur Gerson, Almain, Alphons. de Castro, qui lib. I. cont. hæres. c. 4 statuit, Pontificem ut Pontificem posse esse hereticum & docere hæresin & facto aliquando ita accidisse.*

112. Neq; hanc sententiam Jesuitæ vocare audent hæreticum, cùm contrariū non sit de fide; sic n. Bellarm. d. l. de ea judicat: *Non est propriè hæretica ista sententia, nam abduc videmus ab Ecclesia tolerari, qui eam sequuntur.* Staplet. controv. 3. q. 4. p. 384. *Hac sententia, quod Papa, ut persona publica non possit errare, apud Catholicos recepta & certa est, et si non de fide. Et contrariū sustinere est & assertio erronea, scandalosa & offensiva, et si forte non hæretica.* Item. De fide contrarium opinari saltem quo ad possibile, non videatur esse hæreticum propter multos Catholicos, qui contrarium sustinuerunt. Catharinus in cap. 2. Galat. De quolibet alio Papa preter B. Petrum conclusio sit, nihil probabet Papam errare etiam in fide ac deficere, etiam si quidam novitii Scriptores ausi sunt oppositum defendere contra communem Doctorum sensum.

113. Quia v. Historia apertissimè testantur, quosdā Pontifices errasse, ideo Bellarm. & alii operatosas querunt distinctiones, quib; clarissimā veritatis lucē obscurant, concedunt Papā errare posse occulte & actu externo, in declaracione opinionis proprię, in iis quae pendent ex relatione aliorū, obiter dieendo, ex odio, in re qua non sit fidei, in medijs ante conclusionem, in sententia ab Ecclesia nondum definita &c. Sed hæc folia sicut non possunt velare detectam nuditatem errorum Papalium, quorum longè plurimos & gravissimos ex ipsa cathedra proposuerunt, ut alibi latè demonstratur. Decreta Formosi abrogavit Stephanus, Stephani decretū abrogavit Romanus, Romani acta abrogavit Johannes, quis inter hos non erravit?

114. Concedunt, Papam, si sit schismaticus, si non Canonice intraverit, si nō sit indubitatus Papa, si suam solum sententiam explicet, &c. posse errare. At quis me certum reddet, quod hæc omnia in Pontifice recte se habeant, quodque non suam solum sententiam explicet, sed ex cathedra pronunciat?

115. Vedit hoc Bellarm. ideo cōcludit lib. 4. de Rom. Pontif.

tif. cap. 2. *Omnes Catholicæ in hoc conveniunt, Pontificem solum vel cum suo particulari Concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obediēter audiendum.* Ecquis v. cui religio & salus cordi est, persuaderi sibi patietur, ut absq; ulteriore in sacris literis inquisitione absolute & simpliciter credat ei, de quo adhuc dubitatur, an non possit errare?

116. Ecclesia Gallicæ tribuunt summum & authenticum judicium Concilio, non autem Pontifici, cùm de eo nōdum certò constet, an ab omni erroris periculo sit immunis. Sed de Conciliis idem demonstrari potest. Cur igitur dubium & incertum religionis fundamentum amplecti velimus? cur non rectâ ad Scripturam accedimus ac vocem decisivam Spiritus S. in illa tonantem reverenter audimus?

117. Deinde qui ab agnita Evangelii doctrina ad Papatum deficit, magno quidem labore ex Scripturis investigandi veritatem in singulis articulis sublevatur (siquidem persuaderetur, quod Ecclesia Romanæ judicium, ut pote infallibile, ipsi in omnibus sufficiat) sed quid fieri de admonitionibus Christi & Apostolorum. *Cavete à Pseudoprophetis Matth. 7. v. 14. Scrutamini Scripturas Joh. 5. v. 39. Probate Spiritus an sis ex Deo, 1. Joh. 4. v. 1. Omnia probate, quod bonum est, tenete, 1. Thess. 5. v. 21.*

118. Quinimò cogitur talis transfuga exploratos & compertos errores recipere. Disceptatur inter nos & Pontificios de Communione sub utraque specie. *Ex parte nostra* stat manifesta Christi institutio. *Bibite ex hoc omnes.* Respondent Adversarii, Apostolos fuisse Sacerdotes, ideoque ad solos Sacerdotes illud mandatum pertinere. At hac ratione pro Laicis non erit instituta Cœna, sed pro solis Sacerdotibus. Solis n. illis dictum, *Accipite, manducate, quibus dicatum, Bibite ex hoc omnes.* Beccanus excogitavit aliud latibulum distinguendo *inter institutio- nem & mandatum* Sed verbum bibite continet expressum mandatum non minus ut verbum edite. Eò igitur post longas ambages tandem abeunt, ut unam solum speciem accipiendam esse dicant propter contrarium Ecclesia dispositionem, sicut Gregor. de Valent tract. de Miss f. 95 disertis verbis vocat. Proinde qui Patri se adjungit, mutilationem Cœnæ contra expressam Christi institutionem approbare cogit.

119. Idem de singulis controversiis, quæ nostris Ecclesiis

cum Romana intercedunt, in specie demonstrari posset, quod scilicet pro nostra sententia clara, perspicua & Solis radio scripta testimonia in Scripturis extant. Nec ignorare ea potest, qui sacras literas legit & in vera religione à pueris institutus est, interim cogitum velut clausis oculis & auribus Papales errores, superstitiones & corruptelas amplecti. Potest quidem ex Bellarmino & aliis Pontificiis Scriptoribus discere, quo modo eludenda & torquenda sint illa Scriptura dista, sed hac ratione non satis faciet conscientia sua, multo minùs Christo judici. *Setmo, quem locutus sum, inquit Christus, Job. 12. v.48. ille iudicabit vos in novissimo die.*

120. Terriò talis apostata scipsum privat omnis consolationis certitudine. Persuadetur enim, imputationem justitiae Christi per fidem esse signatum cerebri Lutherani, esse justitiam putativam, imaginariam, larvatam, &c. allegatur ad propria merita, ad proprias satisfactiones, jubetur considerare meritum Sanctorum, docetur perpetuò de gratia Dei esse dubitandum, &c. Jam verò cum propria conscientia testimonio convincatur, nostra opera esse jam antè Deo debita, esse imperfecta, & immunda; obdientiam legi à nobis praestitam non esse numeris & gradibus omnibus absolutam, nostras satisfactiones peccato expiendo esse impares, quam tandem poterit habere consolationem in temptationibus ac pavoxibus conscientiarum, nisi unicum Christi meritum fide apprehendat? Nimirum ut in solo Domini verbo sapientia vera; sic in solo Christi merito fiducia vera.

121. Quartò idem se partisepm facit reatus, quo ob sanguinem Christianorum tam largè & copiosè effusum Papatus Deo tenetur obstrictus. Cogitetur laniana Parisiensis, consideretur Inquisitio Hispanica, legantur Historiae Ducis Albani in Belgio, aspiciantur ardentes piorum rogi & vivus habebitur commentarius vaticinii Apocalypticus cap. 17. v. 6 *Vidi mulierem ebriam ex sanguine Sanctorum & ex sanguine Martyrum Jesu.* At vera Ecclesia non est sanguinaria, non sitit sanguinem, quia Sponsus ejus est Agnus. Augustin. lib. 3. contr. Crescen. cap. 50. Nemini unquam bono in Catholica placuit, ut in hereticum etiam convitum sevisit usq; ad sanguinem. Laclant. lib. 5. Instit. cap. 19. *Defendenda est religio non occidendo, sed moriendo; non sevi-*

*sevitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt,  
hac bonorum. Si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere  
velis, jam non defendetur illa, sed pollueretur. Cogitetur quibus  
modis ac mediis Evangelica religio tempore Apostolorum &  
primitivæ Ecclesiæ fuerit propagata? accommodetur ad illas  
media progressus Pontificiaæ ac nostræ Ecclesiæ, & facile appa-  
rebit, uter proprius ad primitivum illud exemplar accedat.*

122. Denique idem se participem facit omnium peccatorum, qui à doctrina Papistica approbantur, vel ex ea necessariò consequuntur. Nihil jam dicemus de æquivocationibus Jesuicis, quæ nihil aliud sunt quam mentiendi artes, nihil de seditione & sanguinaria illa doctrina judicio etiam Parisiensis Parlamenti damnata, quod Tyrannos, inter quos numerantur omnes Reges ac Principes, qui à Romana sede secessionem fecerunt, impunè imò & meritorie quilibet privatus occidere possit; expendatur lex ac necessitas Cœlibatus sacris ordinibus imposta. Dies Domini olim manifestabatur, quo horrenda scelerata & immunditias spurcissimæ in Ecclesiam Dei lex illa introduxerit. Non improbamus Cœlibatum in personis continentia dono instrutis, sed jugum Cœlibatus personis minus idoneis promiscue impositum improbamus. Vider Deus, quantas uestiones tales quandoque experiantur, & quam absurdæ & flagitiosa committant, parum memores illius Apostolici: *Melius est nubere quamuri.* Cor. 7. v. 9. De voluntaria seminis profusione Thomas Aquinas probat, quod gravius peccatum sit homicidio & scortatione, illud verò in Monasteriis dominari concurrunt illi, qui confessiones audiant, referunt illi, qui ex Monasteriis veniunt.

123. Jubentur in Papatu imagines adorari cultu latræ, Sancti honore adorationis coli, nec solùm ut intercessores, sed etiam ut optulatores invocari, propagnantur iherosolensis, interdicitur Laicis lectione Bibliorum, permittuntur luponaria, publicè exercetur Simonia, &c.

124. Hæc omnia probè expendant, qui à Jesuitis ad deflectionem solicitantur, antequam vera religioni, in qua singulariter Dei gratiam institui sunt, repudient & Romanæ Ecclesiæ se se aggrent. Longè dispar est ratio eorum, qui in tenebris Pontificis educati & à lectione Scripturæ prohibiti

erro-

errōres quosdam adhuc sōvent, quām eorum, quibus lūx celestis veritatis affulxit, cuius gūs averunt bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi, Heb. 6 v.5. postea verō cum gravi conscientiae vulnere relictā verbī luce Papalibus tenebris sese scientes ac volentes involvunt.

125. Insonet auribus & cordibus ipsorum gravissima præmonitio Spiritus sancti, Apoc. 14 v.9. Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, v. 10. Etiam hic bibet de vino ira Dei, quod mixtum est mero in calice ira ipsius ; & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & ante conspectum Agni, v. 11. & sumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum, nec habent requiem die & nocte, &c. Quod longissimè à nobis omnibus abesse jubeat & in agnita veritate, que est Verbum Dei, Joh. 17. v.17. clementer nos conservet, qui nos creavit, redemit, & per Verbum & Baptismum sanctificavit ad vitam æternam, cui soli vero Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto sic,

laus, honor ac gloria in secula  
sempiterna, Amen,

**N**oscere fortè cupis miras Cacodemonis artes,  
Quæs trahit in cassæ credula corda suos.  
Huc ades, atq. theses lustra, quas dextra GERHARDI  
Promit, & apponit Vane Suitatibi:  
Et quas LEISRINGUS clypeomunitus & ense  
Propugnat, metuens hostica tela nihil.  
Has lege, perfectas memori benè mente reconde,  
Impedient q̄ tuos retia nulla pedes.  
Qui Gesuitarum fallacia noverit ora,  
Hic Sathanæ technas noverit atq; dolos.

Johan. Major D.

F I N I S.

Elenchus Contentorum.

- Balthasaris Meistri Disputatio Theologica de normâ fidei. Wittib. 1623.  
Joh. Ternovii Dsp. Theol. De deo frivlo. Rostobi. 1624.  
Jacobi Martini Dsp. de primo creationis tubo.  
Joh. Gottmanni Dsp. Theol. universaria epibus brevissimam vestitionem sex tritennium ex cap.  
3. Gen. defunctionem. Rostobi. 1627.  
Valentini Legdei Dsp. Theol. de imagine dei in domine ante lapsum. Rostobi.  
Bartolomei Battii Dsp. Theol. de mysterio unionis hypostaticae & cariss. naturarum in christo. Gry.  
phirweldia. 1624.  
Joh. Gerhardi consideratio secundum gaudiostitium, qby de fidei ampliatione frumenta varia, ut à  
Lutheri doctrina decipiunt facant. Zena. 1625.  
Pauli Slovostii Dsp. Philosophica de visione dei sciat in se E. send. 1625.  
Joh. Ternovii Dsp. de eterna predestinatione hominum in fide pietatis causa ad finem dyp. vita  
perseverantiam. Rostobi. 1626.  
Joh. Chieren Harmonia Evangelistarum secundum parchata et itinera domini. Somm. 1627.  
Fidelis Admonitus de religione papistica tristis et Lutherani confiteri voluntaria. 20 Hebr. 1628.  
Pauli Robeni Demytifiatio ostendens religionis Pontificis Lubricitatem, incertitudinem et  
vanitatem. Wittib. 1629.  
Joh. Nüßemann Dsp. A. oratione contra necessitatem confunditoris Evangelicorum confessionis Papa  
tis. Wittib. 1630.  
Wilhelmi Syreni pudenda pontificis min. Potestitia. 20 Hebr. 1631.  
Joh. Schenki decretiv. Politie, in quo obviuit, Pontificis Politice hypostatis fore, qby in  
iuriam infungunt tam Iacopo Angelis Romano, quam saeculo impot. Wittib. 1632.  
Pauli Robeni Confutatio homini episcop. Wittib. 1633.  
Ei. Oratio parergonica de causis tot tumultuum. Wittib. 1637.  
Wenceslai Altwaffen eratia resolutoria. obnus. 1638.

ULB Halle  
004 053 834

3



Sb.

V3 Retro  
V3 17

701

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

## Farbkarte #13

deratio  
ISCURSUM  
bus

ITÆ  
IORIBUS  
RE CONAN.  
HERI DOCTRIL  
em faciant,  
ua.  
DEI Auxilio  
Salana  
SIDE  
GERHARDO  
& Profess. Publ.

d. 27. M. Augusti in  
rico instituenda,  
reddet  
ISRINGIUS  
Misnicius.

Æ  
a Tobias Steinmanni,  
C. XXV.